Hardewigi Daſſelij IC.

PANEGYRICVS,

DE ILLVSTRISSIMI ET GENEROSISS. DVCIS ERNESTI, DNI GVVILIELMI IVNIORIS BRVNOVICENSIVM AC

Luneburgenſium Principis Chriſtianiſsimi felicis memoriæ filij, & de uniuerſæ familiæ Luneburgicæ laudibus, &c.

SCRIPTVS

ET

IN HONOREM FESTIuitatis, *qua idem Illuſtriß. Dux* ERNESTVS *Gubernator Ditionis Luneburgenſis fuit inauguratus, in eiusq́ poſſeſsionem inductus, gratitudinis & obſeruantiæ declarandæ cauſa illuſtriß. eius Celſitat: dicatus & conſecratus.*

VLYSSEAE
Anno Chriſti
CIↃ. IↃ. XCIII.



Hardewigi Daſſelij, I C.

DE ILLVSTRISSIMI ET GENEROSISS. DVCIS ERNESTI DNI GVVILIELMI IVNIORIS BRVNOVIGENSIVM AC Luneburgenſium Principis Chriſtianiſsimi felicis memoriæ filij, & de uniuerſæ familiæ Luneburgicæ laudibus, &c.

PANEGYRICVS.

QVEMADMODVM nihil eſt, non dicam in uniuerſo terrarum orbe, ſed in ipſa rerum natura politico magiſtratu dignius, nihil principali poteſtate antiquius nec auguſtius uſquam, illuſtriſſime & generoſiſſime Princeps: ita non eſt ſiue robur, ſiue vinculum auguſtiſſimi huius magiſtratus aut arctius, aut ſanctius ullum, quàm AMOR ciuium & OBSEQVIVM plebis: nec quicquam præclarius eſſe poteſt, quàm viuere (ut Poëta canit) optantibus cunctis. Amor inquam quo parere, quo diligere, quo principem hunc ut ſolem in terris, ut vicarium volentis Dei huic ditioni diuinitus datum ſubditi agnoſcere velint. Porro ſi quid in rebus huma-

nis eſt, quo certius quis amorem ſuum declarare poſſit, hoc certè maximum videri debet, ſi ita principis ſui rebus vel ſecundis vel aduerſis afficiatur, uti ſuis: aut potius ſi huius ſalutem ut communem utilitatem, priuatis cauſis omnibus anteponat. Sic prudentiſſimus priſcæ illius & optimæ Reipub. Senatus populuſq; Romanus, principibus ſuis viuis non ſolum in primo huius dignitatis aditu, publicè congratulandum cenſuit, verum etiam mortuos cum ſummo honore & prædicatione meritorum in Rempub. ſepeliuit: & ne quid ad immortalem nominis gloriam ipſis deeſſet, pro rebus tam domi quàm foris feliciter peractis, ſtatuas ex auro aut marmore, publicaq; monumenta magna cum laude, ac ſæpe etiam cum admiratione erigere ſolebat. Intelligunt hoc idem fideliſſimi totius Ducatus Luneburg: ſubditi, qui ſanctiſſima pietate, ſumma obedientia, maxima deuotione, illuſtriſs: Celſ: T. turmatim ubiq; occurrunt, & ad Chriſtianiſſimum principem diuinitus datum, veluti ad ſacram Anchoram confugiunt. Quæ quidem omnia diuina ſunt, cum veræ totius Saxoniæ in te pietatis & obſeruantiæ teſtimonia, tum perpetuæ firmitudinis certiſſima argumenta. Hæc cum ita ſint ERNESTE princeps illuſtriſſime, non poſſum quoq; & ego humilis Celſ:tuæ cliens omittere, quin Celſ. T. de eius diei auſpicatiſſima feſtiuitate, qua Luneburgenſis Ducatus adminiſtrationi inaugurаberis, cum meo tum chariſſimæ patriæ nomine, etiam

atq; etiam gratularer, optans, ut quemadmodum hæc res cunctis ditionis tuæ ſubditis ac populis longè gratiſſima accidit, ita & ad Dei opt: max: perpetuam gloriam & honorem Celſ: T. illuſtriſſimæ D. matris, illuſtriſſimorum fratrum Ducum Brunſvvicenſium & Luneburgenſium, ac totius veſtræ familiæ Luneburgicæ ſolidum & perpetuum gaudium, uniuerſæ adeò Reipub. Chriſtianæ bonum eſſe poſſit.

Quia verò Princeps E R N E S T E, Domine clementiſſime, meo me metiens modulo ac pede (quod ille ait) pro ſortis meæ humilitate dona, quæ honori tuo deſtinatam pompam ornarent, afferre nequibam, negligere tamen ſubiectiſſimum ſtudium eo officij genere nequaquam debebam, quod hac ſtatione mea proficiſci poſſet, neq; Celſ. T. aſpernaturam planè confidebam. Sic enim ſtatuo, dignum humeris tuis munus, dignum tot tantiſq; egregiis virtutibus, quarum mox primis ab annis eximium edidiſti ſpecimen, quæ non minus quàm ἀστρολογικὴ quorundam prædictiones dignitates tuas præſagiiſſe videntur, præmium tibi condignum ἢ ἀμοιβὴν καὶ ἄξιον obtigiſſe.

Gratulor itaq; hanc fortunam, uti par eſt, debita ſubiectione, gratulantur ſibi dominum ditionis Luneburgici ordines, gratulantur deniq; atq; exoptant ſoſpitem, quotquot vel religionis puritatem, vel ſalutem Reipub. vel literarum decus amant. Et

 verò

verò ne omnino vacua hæc gratulatio noſtra veniat (nam vacuum coram Deo, eiuſq; vicario Principe apparere, longè prohibetur) equidem cum aliud nihil habeam, quod tua Celſ. dignum videri queat, nonnulla ad Illuſtriſſimos maiores, ad Celſitudinis tuæ perſonam, ad muneris aſſignati functionem pertinentia, explicanda eſſe cenſui; ut ſic ornamenta tua, quæ maxima exiſtunt, noſce rectius queas, & ſtationem in qua diuinitus es collocatus, tueare vigilantius.

Quod ſi fortaſſis, ut cupio, non aſſequar; erit clementiæ eò benignius mecum agere, quò illuſtriſs. Celſit: tua in cauſa eſt, ſi tantis tuis meritis & expectationi omnium ſatisfacere non poſſim. Neminem enim plus quàm me pœniteat.

Aggrediar igitur bona cum venia tua & ſicut à numine aliquo olim ſolebant, ita nunc ego non aliunde ordiar, quàm ut cum inuocem Deum præpotentem, qui te delegit veriſſimum certiſſimumq; Ducatus Luneburg: gubernatorem, ipſe propitius adſit fidei meæ, ipſe pietati, ut dignum aliquid in medium adferre poſſim hoc communi gaudio, dignum principe, dignum te. Quod maximè ut opinor aſſequar, ſi primo loco, Deo immortales habeamus gratias, qui nobis ſub paterna eiuſmodi Principis cura, fide, ſollicitudine, tutela, viuere conceſſit, qui rectè ſuo munere fungitur: ſubditorum veluti liberorum ſuorum commoda prouehit, excitat proſtrata: conſtituit iudicia: legibus diſciplinam

vincit,

vincit, pupillis adeſt: eundemq́; coniunctis votis precemur, ut quem dedit ſemel Principem, diuturnæ lucis vitæq́; huius donare uſura, contra omnis generis mala atq; incommoda benignè tueri atq; defendere dignetur.

Quas ergo nos Deo gratias perſolueremus? quo pacto dignè eiuſdem bonitatem, clementiam, miſericordiam celebrabimus? qui eiuſmodi ditioni Luneburg: præeſſe Dominum voluit: quem & ætas, & anni, & ſpiritus ante defecerunt: quàm patriæ charitas: religionis amor: ſubditorum ſalus: vitæ conſiliorumq́; conſtantia. In eiuſdem deinde demortui principis locũ talem ſubſtituit, quo digniorem, & ad triſtia hæc tempora accommodatiorem ne votis quidem conceptis optare poteramus. Videt nimirum Celſit: T. latiſſimum hic ſuarum laudum mihi campum ſeſe aperire, ſine graui ἀχαριςίας & negligentiæ ſuſpicione, ſicco (quod aiunt) illas me præterire pede non poſſe eadem intelligit. Sed quia vereor, ne ſi de laudibus Celſ. T. aliquid dicam, pudicas aures tuas lædam potius quàm oblectem, præſertim cum ex eorum Celſ. T. numero eſſe ſciam: qui, quod veræ ſolidæq́; virtutis proprium eſſe, quàm videri laudabiles malunt: eam in dicendo moderationem adhibebo, ut nec verecundas illius læſiſſe aures: nec de multis magniſq́; virtutibus atq; promeritis ſiluiſſe prorſus videar.

Principio ſatis conſtare arbitror, Illuſtriſſimos Duces Brunouicenſes & Luneburgenſes originem

ſuam

ſuam duxiſſe ex antiquiſſima ſtirpe Gvvelfica, atq; adeò è familia Imper: HENRICI LEONIS, quem & duodecimo gradu in iſta familia ſequuntur;cuius adeò vetuſta nobilitas in Germania eſt,ut LVDOVVICVS PIVS, CAROLI MAGNI Imp. filius uxorem ex eadem familia Iuditham filiam Gvvelfi ducere non dubitauit. LVDOVVICVS enim PIVS IVDITHA uxore ducta fratris illius filio HENRICO Rauesburgum & alias per Sueuiam poſſeſſiones conceſſit. Ex IVDITHA illa natus CAROLVS Caluus Cæſar,cuius poſteri in Gallijs ad Hugonem Capetum uſq; regnarunt. Pater autem HENRICI LEONIS fuit HENRICVS DVX BAuariæ, natus paterna origine ex celeberrimo Gvvelforum Ducum Bauariæ & matre VVVLPHILDE filia laudatiſſimi MAGNI poſtremi ex prima familia Ducum Luneburgenſium orta ab HERMANNO, quem OTTO primus Imperator propter virtutem, ſingularem induſtriam, & fidem eximiam ad principatum euexerat. Mater fuit GERDRVDIS, filia ſapientiſſimi & fortitudine bellica præſtantiſſimi Imperatoris LOTHARII Saxonis,qui una cum filia dotis nomine ſuo generi HENRICO LEONIS patri tradidit Brunſvvigum, comitatum Northeimenſem & omnem ad Viſurgim ditionem, quam ipſe cum coniuge RIXA à ſuo ſocero HENRICO Craſſo acceperat,atq; ita ex eo matrimonio HENRICVS,

RICVS, quem ſuperbum, alij nigrum cognominant, uniuerſam Saxoniam acquiſiuit, poſſidendamq́; cum Bauariæ ducatu filio HENRICO LEONI reliquit.

Longum foret deducere maiores à tempore HENRICI LEONIS, qui ut cæteras eius res geſtas taceam, ante annos plus quàm quadringentos, Henetos, maris Baltici accolas, penitus edomuit, & ad pietatem Chriſtianam flexit. Bardorum quoq; vicũ urbem annis amplius CCXXXV. ipſa Roma vetuſtiorem, ob denegatam obedientiam, ignominiamq́; ab effreno populo ipſi illatam, funditus ſubuertit, Anno nimirum ſalutis humanæ M. C. LXXXVIII. ipſo die, quo Eccleſia celebrat feſtum Apoſtolorum Simonis & Iudæ.

Etſi autem conſtat, Deum in heroicis bonorum Principum familijs, virtutum heroicarum ſemina & motus animorum generoſiores & feliciores, ex maioribus in poſteros propagare, ideoq́; magnum & excellens decus eſſe iudicatur ex nobiliſſima & heroica ſtirpe ſatum & prognatum eſſe. Tamen in hac Ducum Brunouicenſium ac Luneburgenſium familia alia ſunt propriarum virtutum decora longè maiora: tametſi generis etiam ſplendore & antiquitate cæteris orbis Chriſtiani Principibus haud minores extitere. Quæ enim alia præter hanc familiam, ſi generis dignitatem ſpectamus, celebrior & vetuſtior in Germania fuit? quæ iam inde à quadringentis amplius annis Romano Imperio partim

ipſa præfuit,partim qui præeſſent,elegit,è qua tanquam ex equo Troiano tot delecti Heroës prodierunt,qui & armis dignitatem Imperii,& virtute nomen ſuſtinuerunt.

Quid ego IOHANNEM proprium & primum huius familiæ authorem? Quid OTTONEM ſtrenuum MAGNI iſtius TORQVATI pronepotem? qui ea quoq; rerum geſtarum laude floruit,ut poſt aliquot victorias profligatis ſæpe hoſtibus, Dux bello ſtrenuus habitus ſit. Quid vel Celſ.T. abauum OTTONEM Ducem commemorarem,diuina quadam & incredibili virtute principem? Quid HENRICVM, quid ERNESTVM proauos? qui non ſolum eorum hominum qui nunc ſunt, ſed totius antiquitatis gloriam ſuperarunt, ERNESTVS ſanè Celſ. T. auus, præterquam quod laudabiliter in aula auunculi ſui FRIDERICI Electoris Saxoniæ educatus erat,etiam FRANCISCO Galliæ regi ob heroici animi indicia, armorumq; uſum & militarem gloriam fuit cariſſimus: nam profectus in Galliam prima meruit ſtipendia apud FRANCISCVM Regem Franciæ, incidit videlicet in ea tempora, quibus ardebat bello uniuerſa Gallia, ut nemo ferè eſſet in ea ætate, quæ fuit virtutum maximè ferax, cuius FRANCISCVS Rex in capiendis deliberationibus rebusq; grauiſſimis conficiendis fideli magis opera aut ſagaci mente uteretur. IOHANNI quoq; FRIDERICO Electori &

Duci Saxoniæ, ERNESTVS Dux fidelem nauauit operam in expeditione, contra eos, qui perniciem Auguſtanæ confeſſionis addictis principibus moliebantur, quod factum eſt Anno redempti orbis M. D. XXX. Sed in eam modo commemorationem digredi viſum non eſt. Maior enim hic ſeſe dicendi campus aperit, quàm qui præſenti inſtituto noſtro conueniat.

Accedo igitur ad parentem Celſ. T. Ducem GVVILIELMVM excellentis recordationis Principem omni laude digniſſimum, nec ulli maiorum virtute ſecundum, qui ditionem Luneburgicam ita adminiſtrauit, ut non modo fines territorij ſui amplificarit, quantum potuit, ſed doctrinam quoq; religionis à corruptelis, pro virili ſua conſeruarit, tum ſtudia etiam literarum egregiè promouerit. Quæ certè ornamenta in viro Principe tanta ſunt, ut ſui amorem & admirationem, in animis noſtris merito poſſint & debeant excitare. Quare etiam tanti Ducis recordatio ſine communi mœrore vix poteſt exiſtere. Quod enim in alijs rebus fieri conſueuit, id vel inprimis hic uſu venit, ut homines tum demum bona noſtra intelligant, quando ea, quæ in poteſtate habuimus, amiſimus. Nam ut nihil de religione, nihil Repub. præterea addam, hanc quidem laudem eius ampliſſimam ducamus neceſſe eſt, quod ille neq; boni patrisfamilias, neq; boni Principis officium negligebat. In Reipub. ſanè adminiſtratione ita ſe compoſuit, ut horridis Martis

armis quaſi ſepoſitis,ad optimam rerum pacem (uti Poëta canit) animum adiecerit, meritò ei pacis ornamenta curæ eſſe.

Fuit erga ſuæ ditionis ſubditos clemens & beneficus: ſi quis quid vellet, libenter audiuit, comiter reſpondit. Amabat omnes,æquus erat omnibus: labore etiam ſuo in negotijs, fortitudine in periculis, induſtria in agendo, celeritate in conficiendo, æquitate in determinando, conſilio inprouidendo. ſtudio in benefaciendo, quæ omnia præter enumeratas virtutes maiora in hoc uno, quàm multis alijs Principibus fuerunt,tantam ſibi auctoritatem, gratiam & beneuolentiam apud ſubiectiſſimos ſubditos conciliauit, ut in cuiuſuis ſubditorum gremio tutus quieſcere potuiſſet: ut olim EBERHARDVS Comes VVirtebergicus ſuorum ſubditorum ſimilem prædicans fidelitatem eam omnibus theſauris longiſſimè prætulit. De cuius regiis virtutibus quid ego nunc plura prædicem? cum pietas & merita illius in recenti adhuc omnium ſint memoria.

Venio nunc ad te ERNESTE Princeps Illuſtriſſime,veriſſimum aui patriſq; imaginem,quippe quorum hunc animi dotibus eximiis, illum nomine repræſentas: verum ita venio,ut ſi hac in parte ſuccinctior fuiſſe videbor, recorderis te eum eſſe, qui publicis elogiis minimè indigeas.

Magnum eſt profectò Illuſtriſſime Princeps illuſtriſſimis atq; generoſiſſimis hanc in lucem parentibus procreari: vetuſtiſſimis inſeri familiis præclarum: pietatis,continentiæ, fortitudinis ſimulacra quotidie intueri domeſtica pulcrum,laudabile, expetendum.Magnum eſt,ad rei admotum publicæ gubernacula nihil incontinenrer,nihil ambitioſè, nihil auarè,nihil præcipitanter agere: quæ à maioribus parta acquiſitaq; ſunt ſemel,tueri,augere,amplificare: non vel minuere vel amittere prorſus : in ſubditorum promouenda , prouehendaq; commoda excubare: emolumento deniq; patriæ: familiæ ornamento: præſidio afflictis : terrori hoſtibus eſſe. Magna hæc ſunt omnia:præclara omnia:laude atq; celebratione digna omnia. Verùm ad longè maiora mea feſtinat oratio: relinquere hæc inferiora cogitur: quæ ſuos quoq; laudatores alio fortè tempore inuenient.

Itaq; cum in omni principe duo maximè requirantur: ut ſcilicet ſumma auctoritate populum in officio contineat, exemplo etiam inflammet, utrumq; virtutis munere es complexus,ut & ſapientia mores inſtrueres, & moribus ſapientiam condecorares. Quid enim de admirabili prudentia tua dici poteſt pro dignitate, qui à teneris annis ad hanc uſq; ætatem, nulli omnino rei niſi literis inſudaris? liberales artes mediocriter hauſiſti,ius Cæſareum tenere voluiſti : nullum omiſiſti literarum genus,cui non animum intenderis.

Sic IVLIVS CAESAR, TRAIANVS, HADRIANVS, CAROLVS MAGNVS, aliiq́; complures, qui profectò non dubitarunt in omni literarũ genere & ratione verſari. Non enim manu ſolum aut corporis viribus Reſpublicæ geruntur: ſed opus conſilii eſt;opus ratione eſt, animi magnitudinem vel excitante vel temperante: opus multis eſt rebus aliis, quæ ex diſciplinis liberalibus maxima ex parte petuntur.

Sic ille Regum omnium ſapientiſſimus Salomon, qui de ſe ipſo loquens,ita gloriatur: Ipſe mihi dedit horum,quæ ſunt,ſcientiam veram, ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum,virtutes elementorum, initium & conſumationem ſeculorum, viciſſitudines rerum,mutationes morum,anni curſus, diſpoſitiones ſtellarum, naturas animantium & herbarum. Quis igitur docet omnia hæc niſi illæ, quibus iuuenis inſudaſti,diſciplinæ liberales? Quantum autem conferant ad gubernationem rerum humanarum, inde perſpici licet, quod ubicunq; ſapientia cum potentia conſpirauit, ibi mirabile quid effici vidimus, unde Plato diuinus Philoſophus haud immerito ſcriptum reliquit, cum inquit: ὡς ἄρχουσιν ἐθέλουσιν ἀγατοῖς εἶται, πάντων ἄμεινον ἂν εἴη σοφία πρὸς τὸ παραίνει, ἃ βούλοντο. Neq; enim facilè quiſquam,ut illis temporibus,aut Moyſe eruditior,aut Salomone ſapientior: quorum hic pace, ille bello ſummam ſunt gloriam conſecuti. Principes autem Germaniæ noſtræ enumerare ſi libeat, ſanè illi præter cæteros clariſ-

ſimi,

ſimi, qui inprimis doctiſſimi literatiſſimiq; fuere. Nam ut omittam ſummos Imperatores, RVDOLPHVM HABSBVRGENSEM, ALBERTVM III. CAROLVM V. SIGISMVNDVM, MAXIMILIANVM II. & reliquos, quis LVDOVVICO Palatino Electori, qui ſeneſcens iam latinas literas diſcere cœpit? quis IOACHIMO I. Electori Brandenburgico, qui in comitiis Auguſtanis Anno nimirum M. D. XXX. rogatu cæterorum Electorum ac Principum, munus latinè reſpondendi, exteræ nationis legatis in ſe recepit, grauiterq; ac ſplendidè commemoratis gentium illarum laudibus, benè ſperare illos de Imperatoris & cæterorum ordinum auxiliis iuſſiſſe? quis IOANNI ALBERTO Duci Megapolitano, cuius erga Muſas ſingularia merita paſſim gentium prædicata ſunt, aût eruditior aut eloquentior? AVGVSTVM quidem Electorem Saxoniæ aliquot iam annos in gubernatione verſatum, accepi in ſenecta ſua accenſum cupiditate ardenti, cognoſcendi linguam latinam, tantos, breui tempore, in ea addiſcenda progreſſus feciſſe, ut mediocrem ſibi latina intelligendi & loquendi facultatem compararit: & filium Ducem Saxoniæ CHRISTIANVM eundemq; Electorem feliciſſimæ memoriæ, in literis latinis fideliter & accuratè inſtitui mandarit. ERNESTVM ſanè Exarchum Auſtriæ & proregem Hungariæ ita eleganter & congruè non ſemel atq;

iterum

iterum latinè loquentem audiui,ut nihil ſupra. Beatas igitur ciuitates illas & regna, quibus contigit à ſapientibus gubernari. Omnium enim artifex eſt ſapientia.

Sed ut ad te redeam Illuſtriſſime Princeps, quicquid tu in iuuenili iſta ætate dicebas,legebas, audiebas, omnia dirigebas ad ſapientiam; ſapientiam inquam illam,quæ à Deo eſt: quæ ſicut inter cæteras artes & diſciplinas altior ſublimiorq;, & veluti regina incedit, ita ad huius altitudinem ſine illis quaſi quibuſdam gradibus aſcendi non poteſt. Inuiſibilia enim Dei per ea,quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.Talia igitur iacienda nobis iuuenili ætate fundamenta, quale ædificium in ſenectute extare volumus: talia priuatis diſcenda nobis, qualia docenda, ſi magiſtratus efficimur. Periculum enim certè nunc non eſt, ne à puero ſic imbutus, quid mores exigant, neſcias, quid Chriſtiana religio,quid leges,quid fides,quid pietas, quid Principis officium, quid ſubditorum neceſſitas deſideret, non intelligas. Etenim cum à puero fidelibus & induſtriis informandus erudienduſq, à Dno Parente traditus eſſes Præceptoribus, & morum inſpectoribus,quorum monitis,magnarum rerum cupiditate incenderetur aſſiduè, præclara illa tua ad virtutem indoles, optimè perſpectum habemus,quos fructus hæc maturitate ſua poſtea tulerit. Adoleſcentior d.:nde factus patriæ incunabula relinquens ad Academiam VVitebergenſem cum fra-

tre

tre AVGVSTO Duce illuſtriſſimo & omni laude digniſſimo, ad eruditionem & ſapientiam capeſcendam miſſus es, ubi poſtquam literarum & diſciplinæ ætas tua capax fuit, ſimul ea, quæ ſe prius oſtenderant, augeri videbantur, ab uniuerſo Senatu Academico VVitebergenſi dignus iudicatus fuiſti, ut ſceptrum Academiæ & Rectoratus digniſſimum munus tibi committeretur. Nec multò poſt propter egregias virtutes & animi dotes, quas in te ſingulares animaduertit illuſtre Canonicorum Argentinenſium Capitulum, te unà cum fratre germano illuſtriſs. Duce AVGVSTO, quem iterum honoris cauſa nomino, in ſocietatem muneris Eccleſiaſtici legittimè cooptauit, cum maximo non tantum illuſtriſſimorum Principum, verùm etiam totius Capituli honore & ornamento. Ac licet aliquanto poſt viuo adhuc illuſtriſſimo parente capeſſere Rempub. cœperis, adeò tamen Muſarum caſtra non deſeruiſti, ut potius in ea militia inſignem profectum feceris, neq; vel teipſum, vel morum & doctrinæ magiſtros tuos, pœnitere nauatæ operæ poſſit. Itaq; libet mihi cum Poëta Ligurino verè exclamare:

O benè quod talem diuina potentia Ducem
Inſtituit, qui ſic ſtudijs imbutus honeſtis
Nouit ab inſipido doctum ſecernere vulgo,
Iamq́ diu multas ſolitasq́ ſilere Camœnas
Excitat ad veterem digna mercede laborem.

Huic tam optimo inſtituto diuina remuneratio non defuit. Nam poſtquam illuſtriſſimus Princeps D. GVVILIELMVS iunior Dux Brunouicenſium & Luneburgenſium parens tuus omni laude digniſſimus, Anno ſuperiori rebus humanis exemptus eſt, fecit virtutum tuarum fama, ut inter fratres tanquam maior natu, ipſe potiſſimum ei ſurrogarere, neq; id immerito. Nam cum ab illuſtriſſimo parente haberes domi relictum exemplum iuſtæ ac legitimæ gubernationis: acceſſit paucorum annorum uſus, quo quidem omni tempore cum fratre CHRISTIANO, Duce illuſtriſſimo, ſubditos in officio ſumma auctoritate continuiſti, non modo nulla cum ſubiectorum querela, ſed ingenti cum omnium laude, iuſtiſſimi principis ius auctoritatemq; tutatus es, quæ hominum conſenſio, clariſſimum ſapientiæ habet documentum. Ea verò eſt una virtus, quæ Princeps in rectore populorum, ingentium virtutum ſecum comitatum trahit, iuſticiæ, temperantiæ, & quæ præcipuæ partes iuſticiæ ſunt, innocentiæ, integritatis fidei: quæ poſitæ in magna hominum luce non indigent cuiuſquam prædicatione. Vt verò cito oritur, & occidit falſæ laudis ſplendor: ita quæ à veritatis fonte manat, cum ſtet fulta ſuo robore, æterna viget. Sint alij in illuſtri familia nati, iactent maiorum merita, rerum geſtarum magnitudinem, pacis & belli decora multa, trophæa: digni fortè habeantur, de quibus præclarè homines ſperent: indigent ſubditi non

non ſperata,ſed ſpectata virtute: neq; illuſtri ſolum familia nato, ſed cuius ante initum imperium iuſticiæ, & ſapientiæ in adminiſtranda Repub. ſit periculum factum.

Quemadmodum verò qui ſe longæ ac difficili nauigationi committit, non quærit nauis gubernatorem,qui nunquam nauim conſcendit nauigandi cauſa,etiamſi ſit patre natus,qui perdiu nauiculariam fecerit,ſed cuius ſcientia clauum tenentis,multi feliciter ſunt uſi: ita non eſt credendum, homines ſapientiſſimos,quorum eſt virtus,& prudentia difficilimis Reipub. temporibus teſtata, Reipub. gubernacula, cuius longè lateq; patet in ſubditos & populos multos imperium,homini permiſſuros, cuius non multa fidei, & ſapientiæ exempla extent, atq; adeò etiamſi patre,auo, maioribus ſit natus, quibus tum pace, tum bello Rempub. procurantibus, gubernandi ſcientia,magno hominum conſenſu,ſumma eſt tributa.Non committent verò tanti viri, ut ſi quando accidat (quod adeò triſte omen propitius auertat Deus in hoſtium capita) ut tanquam nauis aduerſis fluctibus, iactata Reſpublica,aut inteſtinis ſeditionibus, aut externis bellis, meritò ſibi audiat illa opprobari, quibus eſt olim Romana Reſpub. à Poëta vetere notata:

Quamuis pontica pinus,
Syluæ filia nobilis,
Iactes & genus & nomen inutile;
Nil pictis timidus nauita puppibus

Fidit: tu, niſi ventis
Debes ludibrium caue.

Nunquam verò certius naufragium Reipub. imminet, quàm ubi is ad gubernacula ſedet, qui ipſe regendus, duce ac moderatore indiget, ne quando orta violentior procella nauim in ſyrtes & ſcopulos agat: quod ſæpè accidit, adoleſcente ſummam imperii obtinente, qui quanquam generoſæ indolis, ætate parum ſit adminiſtrando imperio maturus. Neq; verò principi, cui minus iuſta volenti, nulla ſuperior poteſtas inijcit frena, ſatis eſt præſidij in ſapientium conſilio aduerſus infinitam rerum omnium licentiam, cùm non adiuuat ætas, uſu & cognitione maximarum rerum corroborata. Quis verò, ubi optio detur, non malit ſanus carere morbo, quàm habere aduerſus morbum, ubi ſæuiat vehementius, paratum auxilium? præclarum eſt nutantem & prolabantem conſilio fulciri: ſed multò præclarius tamen, ſtantem ſuis viribus conſilio corroborari. Nam planè non indigere conſilio, diuinæ naturæ eſt, in nato homine, nihil verius eſt, ut non malus ait ſapientiæ auctor, quàm ruere ſua mole mentem conſilij expertem. Id quod Aſchræus Poëta his verſibus notatu digniſſimis atteſtatur:

οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει
φρασσάμενος, τά κ' ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ἦσιν ἀμείνω.
ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
ὃς δέ κε μήτ' αὐτῷ νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων,
ἐν θυμῷ βάλληται, ὁ δ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ.

Quorum

Quorum Verſuum ſummam eleganter & concinnè complexus eſt Melanthon his Verſiculis:

Qui nullo monitore poteſt facienda videre,
Quæq; decent, quæq; euentus in fine ſecundos
Sunt tandem paritura, ſuisq; obtemperat ipſe,
Conſilijs, mores vera ratione gubernans,
Anteit hic alios virtute & laudibus omnes.
Sunt alij minus ingenio pleriq; ſagaces,
Qui parere tamen curant meliora monenti:
Laudandos inter rectè numerantur & iſti.
Sed qui nec ſapit ipſe, nec audit recta monentes,
Nec patitur frenos, nec legum vincula curat,
Sed pronus ſequitur quo traxit cæca libido,
Hic malus ac odio dignus ducatur, & idem
Accerſet pœnas ſibi tandem & triſtia damna.

Cui non abſimile & illud eſt, quod Liuius his verbis ſcriptum reliquit: *Sæpe ego audiui milites, eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quid in rem ſit. Secundum eum, qui benè monenti obediat. Qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi ingenij eſſe.*

Magnum quidem in eo ſapientiæ argumentum, qui in his etiam, quæ rectè ſentiat, diffiſus ſibi, quærit cuius auctoritate in recta ſententia confirmetur.

 Neq;

Neq; verò eſt conſilium è cuiuſquam inſectatione tibi illuſtriſſime Princeps ſubditorum fauorem & gratiam conciliare; & ſi eſſet, non pateretur tamen eximia tua virtus,cui nos ita gratificari crederemus.

In optimo Principe duo præcipuè requiri hiſtoriarum monumentis paſſim proditum eſt, & primo quidem poteſtatem, deinde ſapientiam. Poteſtatem ex fortitudine, ex animi magnitudine conſtare liquet,ne timore aut formidine à recto gubernatoris officio declinet: ſed impauidus & conſtans, quibuſcunq; refragrantibus ſtrenuè fortiterq; reſiſtat: circumſtrepentibus undiq; tempeſtatibus, non commoueatur animo,non concutiatur, ſed rectum in omnia conſtantemq; vultum proferat, ſit à recto immobilis,à iuſto inuiolabilis, à decoro exorabilis. Sapientia verò tanta ſit,quæ non ſolum literis & ſacra doctrina conſtet, ſed etiam longo rerum uſu & experientia rerum magiſtra. Veriſſime Africanus Poëta opinatus eſt, Sapientiam uſus & experientiæ filiam eſſe: propterea quod ei, qui ſapiens eſſe velit, non libris ſolis,neq; diſciplinis opus ſit,ſed oporteat eum verſari exerceriq; in rebus cominus noſcendis periclitandiſq;, & proinde ſapere atq; conſulere, ex his, quæ acta & euenta & ipſa rerum pericula docuerint.

Ennius Tarentinus literarum cognitionem mancam eſſe aſſerebat,ſi nulla actio, nulla rerũ expetendarũ fugiendarumq; ſcientia ſequatur. Plato vir diuinus in Gorgia ſuo monuit, diſciplinarum ſtudium

um ſine actione & ſine experientia ſoliuagum atq; ieiunum eſſe, niſi & ea quis ſapiat, quæ rerum pericula docent. Inexperti negotiorum minus apti, minuſq́, idonei gerendis magiſtratibus ſemper habiti ſunt. Vnde Cornelius Sylla Marij Conſulis iuuentam irridens, Remigem inquit, prius eſſe oportere, quàm ad gubernacula manus admouere. Solon Athenienſium Legiſlator ſuadebat, ne antea principatum aut magiſtratum appeterent, quàm imperare aut magiſtratum gerere didiciſſent.

Quod ſi poteſtas fortitudine & animi robore conſiſtit, ſi ſapientia conſtat non ſolum literis, ſed etiam multa experientia & rerum uſu, exactiſſimũ fuit iudicium nobiliſſimi ac ſapientiſſimi magnificæ aulæ Cellenſis Senatus in deligendo te Chriſtianiſſimo principe, qui & fortitudine præſtas, & magna ſapientia præditus es. Iam in recente inito magiſtratu tuo multis in rebus haud obſcurè declaraſti, quàm ſis inuicta conſtantis animi magnitudine, & infracto ſolidiſſimæ mentis robore. Tune aduerſis deterreri ſolitus, nec ſecundis efferri? inflexibili rectitudine, incorrupto iudicio & integritate incommutabili idem perſiſtis. In omni vitæ curſu, aduerſus quoſcunq; fortunæ impetus, eadem frons & idem vultus perdurat, ut nec immerito tibi illud Fabricij Romani Conſulis elogium aſcribi poſſit, te difficilius à recto, quàm ſolem à ſuo curſu auerti poſſe. Nemo etiam tui ordinis hominum literarum eruditione & morum probatiſſimorum qualitate

tate

tate ornatior. Quod ſi beatas eſſe Reſpub. Plato non minus verè quàm ſapienter monebat, ſi aut ſapientes imperarent, aut earum principes ſapientiæ ſtudio tenerentur, beatiſſima es uniuerſa Ditio Luneburgica, quæ tam ſapientiſſimi gubernatoris regimini credita es. Adeſt tibi præterea optima viuendi ratio, adeſt humanitas illa inclyta, cum tuæ tamen auctoritatis ratione ſeruata: adeſt optimum & ſalubre conſilium, ipſaq; liquida & aperta veritas, nulla plica, nulla fucatione, nullaq; verborum captione contecta, adeſt & vitæ ipſius ſanctimonia, & pietatis cultus, ac omnium eorum cognitio, quæ tam inclytæ dignitati expedire aut uſui eſſe poſſint.

Quamobrem ERNESTE Princeps illuſtriſſime, ſi quis exterius has ingentes animi tui præclaraſq; virtutes modo commemoratas inſpexerit, facilè comperiet hæc omnia, non tam diuini eſſe muneris quàm prouidentiæ. Nam ſi rerum tuarum feliciſſimos euentus cum hac ipſa temporum conditione conferimus, id de te cogimur ſentire atq; proferre, quod de electiſſima illa Dauidis Regis unctione ſacra recenſet hiſtoria: inueniſſe ſibi Deum virum ſecundũ cor ſuũ, &c. Tribuit tibi Deus optimus hæc ipſa prænoſcens laudatiſſimi huius Ducatus gubernationem, non tam ſucceſſione legittima, quàm (quod maius eſt) virtutibus tuis debitam, qui tua probitate Princeps fueras ante, quàm fieres. Contulit principalem hanc ſpeciem atq; oris habitum prouinciæ huic digniſſimum, vires corporis

heroicæ

heroicæ virtutis ac roboris, mentem in proſperrimis iis rebus æquiſſimam, in qua ſemper ratio arcem principatumq; poſſideat. Quæ animi tui dotes, ſicuti rariſſimæ ſunt, in unumquempiam præſertim congeſtæ, ita ſanè in te mira ſummi Dei clementia collocatæ, te ſummè ornatum inter reliquos principes, lucidiſſimum veluti ſydus inter reliqua micantia ſydera, reddunt atq; ſummopere illuſtrant, adeò ut præſtantiſſimæ hæ virtutes tuæ ita ferè inter ſe contendere videantur, ut neq; bona ipſa corporis, animi virtutibus ſubeſſe, minus verò ipſe animus corpori patiatur non præeſſe. Speciem hanc in te verè principalem quis non miretur? ſplendidiſſimos hos tuos oculos præfulgentia veluti lumina, valetudinem proſperam, ſenſuum omnium vim & integritatem quis non ſummis efferat laudibus? Etenim ſi decus animi in magno homine corporis habitus ſequatur, qui conciliet formæ dignitatem, præclarum quid efficitur, atq; homini mortali auguſtius. Quàm, verò ſit blanda hominum conciliatrix in viro principe formæ dignitas, ſenſuum integritas, cæteraq; ipſius corporis bona, quæ ad decus & dignitatem præſtantiſſimi cuiuſuis Principis plurimum ſanè conducunt, in omni memoria veterum exempla multa, atq; illuſtria docent,

Scitum quidem apud Græcum Poëtam, patrisfamilias, opinor, optantis ſibi in longam annorum ſeriem productiorem vitam. Vtinam, inquit, videre

contingat nepotum nepotes, & mox, quaſi tantum adepto, haud ſatis videatur fortuna indulſiſſe, dignam poſteris regno formam precatur, quam rerum expetendarum omnium primam homini in vita eſſe habendam exiſtimat. Non diuitias optat ſuis non virium robur, non pernicitatem, non regna atq; magna imperia, ſed unam dignam formam imperio. Hoc enim illi perſuaſum eſt; in quo homine forma conſpiciatur imperio digna, nihil illum eorum, quæ in vita agenda beatum hominem fortunatumq; efficiant, deſideraturũ. Sed aliquanto illo melius diuinus Plato: ubi in homine, inquit, hæc concurrant, in animo probitas, in vita agenda elegantia morum (eam omnibus aliis præfert, quæ ſunt homini expetenda) in corpore formæ decus, ita ut partes omnes benè inter ſe conueniant, & ſint aliæ aliis conſentientes; eſt futurum, ut pulcherrimum ſui ſpectaculum intuentibus reddat. Et meritò hæc ille quidem: nihil enim in terris perfectius, abſolutius, admirabilius, quàm qui ex animo præclarè ad virtutis & honeſtatis decus conformato, & recta conſtitutione corporis efficitur concentus.

Neque ſecus ſenſiſſe videtur Menander Græcus Poëta, cuius ferè ſingula verba, quod de Euripide dictum eſt, ſingula oracula habentur. In quo homine, inquit, naturæ decus exornant mores, futurum eſt, ut qui illum propius adeat, duplo in eum maiore amore afficiatur. Cuius quæ cauſa ſit, omnibus,

quorum

quorum ſint integri ſenſus,facile eſt inuenire. Acutè enim Ariſtoteles interroganti, cur quæ pulcra eſſent,tantopere amarentur.Cæci inquit eſt hæc interrogatio. Quis verò niſi oculis captus,miretur homines cœli aſpectu teneri, Solis, Lunæ, ſyderum, quibus in natura rerum fingi nihil maius, præclarius, diuinius poteſt? Nihil enim verius,quàm quod ab eodem manaſſe fertur:Nullas eſſe literas,quibus magis homines, quàm decore formæ commendentur. Quod cum aliis tum maximè iis expetendum eſt,qui in gubernatione ac regimine ſedent, quibus nihil æquè facilem tanti muneris functionem reddit,ac ſubditorum ſtudia atq; amor. Quæ huius rei ratio,quo certior clariorq; eſt,eò nos monet magis, hac laude in te illuſtriſſime Princeps ERNESTE prædicando efferendoq; parciores eſſe. Quanta in te ſit formæ dignitas, quanta maieſtas in vultu, geſtu, motu corporis, ipſe in magna hominum luce poſitus oſtendis. Ita verò hæc omnia grauitate condita, ut appareat, non te ad populi coronam,ſed ad principalis nominis celſitatem & natum & inſtitutum eſſe. Facit autem in te quidam quaſi virginalis pudor,& vultus ad gravitatem compoſitus,ut nemo credat,quæ ſua natura adeo amabilia ſunt, fore aliquando,ut in mollitiam & animi nimiam remiſſionem vertant,cum uſu aliquot annorum & maximarum rerum cognitione comparata magnitudo animi & conſtantia accedat. Quæ tametſi magna ſint, & ab omnibus peroptanda, maiora tamen me

abducunt, quæ in te admiranda magis, quàm laudanda ſeſe offerunt, quæ principem te omni laudis atq; virtutum genere ornatiſſimum reddunt.

Non dicam de prudentia, continentia, temperantia, comitate, cæteriſq; huiuſmodi virtutibus tuis, ex quibus id ſanè ſpecioſiſſimum conſpicitur, quod iſta admirabilis manſuetudo tua atq; clementia, adeò grata omnibus populariſq; ſit ſemperq; fuerit, ut viciſſe ferè cæteras videatur, atq; cum clementiſſimus ſis, minimè tamen à ſeueritate ipſa, grauitateq; recedis: humanus præterea cum natura ipſa omnibus exiſtas, neq; tamen abes, à tibi inſita grauitate.

Iuſticiæ amor in te immenſus erga omnes, haud ſæuiens tamen abſq; omni moderatione.

Quibus rariſſimis virrutibus, quantum commodo utilitatiq; ſubiectiſſimorum tibi ſubditorum ſemper contuleris, vel ex hoc etiam coniecturari facilè poteſt, quod unius tantum ſemeſtri ſpacio in recenti inito magiſtratu tuo, Ducatui Luneburgenſi tanta iuſticia præfuiſti, admirabiliq; clementia, ea præterea in te hominum obſeruantia, eoq; amore, ut vehementiſſimum ſupra quam dici poſſit, tui deſiderium cunctis tuis ſubditis reliqueris. Et reuera quibus virtutibus præcipuè ſubditorum beneuolentiam Principes ſibi comparant, earum ſunt omnium clementia & manſuetudo quaſi ſemina æternis literarum prodita monumentis, quæ quidem virtutes ut maximè in Principibus viris conſpicuæ

ſunt,

ſunt, ita quoq; maximè illos decent atq; exornent, utpotè quarum pulcritudine ſubditi ad imitandum alliciantur, hominum enim ea vulgo natura eſt, ut ipſi ſe in principis velut unici exempli mores forment, & ſicuti prouerbio vulgatum eſt:

Principis exemplo totus componitur orbis.

Qualis enim (Platone teſte) in Repub. Princeps fuerit, tales reliqui ſolent eſſe ciues: Qualis Rex talis grex: qualis herus talis ſeruus, ut in veteri eſt prouerbio. Mores enim ciuitatis ex principis moribus effinguntur: & ut alibi ait Plato, quæ apud eos, qui dominantur, ſtudia vigent: eadem reliqui ciues amplectuntur & colunt. Popularibus verò hanc principis clementiam ſibi proponentibus, Rempub. longè florentiorem opibus & pace tranquilliorem fore haud ambiguum eſt. Homines enim huic virtuti dediti, iuſticiam quoq; temperantiam, caritatem, pietatem colent, & cæteras ſimul bonas artes, quæ clementiam comitantur: unde orietur publici ſtatus omnibus propè numeris abſoluta felicitas. Quemadmodum autem è clementia Principis ſubditi æquitaté percipiunt, ita ipſe quoq; Princeps uberrimum ex ea fructum, videlicet omnium beneuolentiam, colligit. Neq; ulla res magis M. ANTONIVM Imper. carum omnibus & deſiderabilem Principem fecit. Eadem in VESPASIANVM Imp. omnium ſtudia & caritatem accendit. Offenſarum enim inimicitiarumq́, memor executorue, Vitellij quoq; hoſtis ſui filiam ſplendidiſſi-

mē maritauit, dotauitq; etiam & inſtruxit. Tantumq; abfuit, ut iniuſta cuiuſquam cæde lætaretur, ut iuſtis etiam ſupplicijs illachrymaret. Titi quoq; VESPASANI eius filij tanta fuit comitas ac manſuetudo, ut nullius aduerſum ſe odium commouerit. Neq; auctor cuiuſquam necis, nec conſcius, quamuis interdum ulciſcendi cauſa non deeſſet, periturum ſe potius quàm perditurum adiurabat. Itaq; tantum illi promerendam omnium voluntatem vel ingenii, vel artis ſuperfuit, ut vulgò deliciæ atq; amor generis humani dictus ſit. Par cauſa publicæ charitatis TRAIANO, PIO, TACITO, fuit, & aliis egregiis Principibus, qui humano generi ingentium bonorum auctores ciuium ſuorum honore & beneuolentia non viui tantum perfruuntur, ſed cum ab hiſtoricis literarum monumentis tradantur, mortui quoq; virtutum ſuarum fructum ferunt, proſperam ad poſteros ſui memoriam, & immortalem nominis gloriam & famam. Sæui è contra principes deteſtabiles & probroſi, propter magnas illatas hominibus calamitates, omnibus omnium dictis ſcriptiſq; & in vita & poſt mortem lacerantur. Quod graphicè ab Homero his verſibus depictum eſt:

Ος μὲν ἀπηνὴς τ' αὐτὸς ἔῃ καὶ ἀπηνέα εἰδῇ
τῷ δὲ καταρῶνται πάντες βροτοὶ ἄλγε' ὀπίσσω
ζωῷ, ἀτὰρ τεθνεῶτί γ' ἐφεψιόωνται ἅπαντες.
Ος δ' ἂν ἀμύμων αὐτὸς ἔῃ καὶ ἀμύμονα εἰδῇ,
τοῦ μέν τε κλέος εὐρὺ διὰ ξεῖνοι φορέουσι
πάντας ἐπ' ἀνθρώπους, πολλοὶ δέ μιν ἐσθλὸν ἔειπον.

Quos

Quos verſus olim Hubertus Languetus nobilis Gallus vir ad unguem doctiſſimus hoc modo Latio expreſſit:

Quiſquis in humanis ſtudet inteſtabilis uti
Moribus, huic omnes viuo clam dira precantur.
Huic omnes credunt fas inſultare perempto.
Sincerum vitæ contra, culpaq́ carentem
Tantus inumbrat honos, ut famam nominis ampli
Quilibet extremas paſsim ferat hoſpes in oras.

Nam ut nihil de pœnis ego nunc eorum proferam, quas ſubire coguntur qui ſæui, probroſiq́ impii, ac iniuſtam tyrannidem in ſubditos exercuere: Notum de improbis principibus eſt illud: Intrant ut vulpes, regnant ut leones, moriuntur ut canes. Et quemadmodum turres præcelſæ fulminibus ſæpè feriuntur ac quatiuntur: illæſa turriola manent: liquefit non raro ferrum, integra cera deprehenditur: ita Dei cum primis hi principes pœnas experiuntur, qui à pietate, clementia, cæterisq; heroicis virtutibus deſciſcunt atq; deficiunt. Itaq; ſi ullis hominibus aliis, Principibus maximè illuſtri celſaq; ſtirpe progenitis virtutibus hiſce ſtudendum eſt. Neq; id ſanè immerito. Etenim ſi quod eſt ſol in cœlo: cor in corpore humano: in exercitu Dux: gubernator in naue: in grege paſtor: in domo pater familias: id eſſe aliorum rector debet: quis non videt peſſum eam ſiue dinarchiam, ſiue quamuis ditionem aliam ituram, quæ malis principibus ac gu-

bernato-

-bernatoribus utitur. Si imperiorum eſt fulcrum, principum ac generoſorum auctoritas: eorundem peſtis contemptio: quis bonam de illius gubernatione ſpem concipiet; qui, dum ſe primo ipſum contemnit, nec qua eſt veluti ſtatione à Deo collocatus conſiderat, vilem abiectumq; ſeſe reddit? ſi nihil difficilius, quàm rectè aliis præeſſe: auget hoc ipſum iugi impatiens hominis ingenium, quis eos omnis periculi expertes eſſe non ſicas acuere, venena parare, exiſtimat: qui omnibus generis ſeſe vitiis fœdant & polluunt. Neq; enim tecta illa occultaq; haberi poſſunt: ſed inſtar verucæ in facie, aut præcelſa aliqua in arce incendij exorti, ſunt conſpicua omnibus: nec quæ fiunt modo, carbone notantur: verum etiam ioci nonnunquam, & neſcio quæ alia, in ſermones hominum veniunt: nec reipſa ſed auctorum dignitate æſtimantur: detrimenti quoq; adferre plurimum conſueuerunt. Non profectò ulceribus ipſe ſcatens, aliorum utiliter morbis medebitur: non cœco luminibus orbus dux commodus erit: non lapſum lapſus eriget: non vitæ ab alijs rationes repoſcet: qui ſuæ reddere nequit: non de aliorum ſeuerè peccatis iudicabit: qui in ſeipſo, quæ corrigi, damnari, puniri queant, & plurima & maxima ſentit. Exempla porrò illuſtriſſimorum principum quantum quæſo apud ſubditos ponderis momentiq; habent?

——componitur (inquit ille) orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus

Huma-

Humanos edicta valent: quàm vita regentis,
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Et præclarè Cicero: non tantū mali eſſe docet, principes peccare: quantum illud: quod plurimi eorum imitatores fiunt: vitia in ciuitates infunduntur atq; ita plus exemplo quàm peccato nocetur. Pauci enim atq; admodum pauci, honore & gloria amplificati, vel corrumpere mores ciuitatis, vel corrigere poſſunt.

Quo etiam pertinet Oreſtis illa vox ad Pyladem, apud Eurypidem in Oreſte:

Δεινοὶ οἱ πολλοὶ κακούργοις ὅταν ἔχωσι προςάτας:
ἀλλ᾽ ὅταν χρηςοὺς λάβωσι, χρηςὰ βουλεύουσιν ἀεί.

Quid de maculis illis nunc dicam, quæ malè turpiterq; viuendo, illuſtriſſimorum Principum, maiorum ac parentum cineribus atq; oſſibus inuruntur. Vt enim maximam illi laudem merentur, qui obſcuris parentibus orti, virtute & rerum geſtarum gloria ad ſummum honorem & faſtigium euehuntur: Sic qui maioribus degenerant laudemq; eorum, turpiſſima vitiorum labe aſpergunt, nequidem in numero habendi illuſtrium, generoſorum, nobilium videntur. Cum Ariſtotele teſte nobilitatem nullam ob cauſam aliam veneremur magis, quàm quod meliores ex melioribus oriri exiſtimamus: cum nobilitas vera, non generis ſplendore: non fumoſis maiorum imaginibus: non parentum præclare laudabiliterq; actis, verum ſua cuiuſq; virtute con-

ſiſtat: cum deniq; nobilitas (iuxta Platonis aſſertionem) generis quidem ſit ſplendor & dignitas, ſed non aliunde, quàm ex virtute.

Etenim quando nobilitas à virtute originem ducit: non ſecus ac riuus ex puro & perlucido fonte manans, ſi cloacas & purgamentorum receptacula præter lapſus fluentum inquinarit, non iam limpidæ aquæ, ſed cœni aut lacunæ nomen obtinet: ita ſi nobilitas à virtutis ſtudio, id eſt, à ſua ſcaturigine deſciuerit, diſcedit quoq; à ſe ipſa, & nobilitatis nomen amittit.

Id quod non dico Illuſtriſſime Princeps ad excitandam hanc in te virtutem (currit enim ſua ſponte, ac naturæ quędam impetu fertur, ac procliuis labitur in omnem laudem) quam ad illuſtrandam tuam gloriam, ut homines in ducatu Luneburgenſi, qui ſui moderandi poteſtatem, quaſi habenas quaſdam tibi tradiderunt, videant te habere non ſolum domi nata fomenta, ſed in pectore etiam tuo incluſa ſemina illius virtutis, quàm à te expectant, atq; expectare debent ſumme ſummam.

Sed ne ſermonem latius vagari ſinam, præſertim cum breuitati ſtudere propoſuerim: unde Paulo ante digreſſa eſt, eo nunc reuertatur noſtra oratio.

Quid nunc dicam de ipſa religione in Deum optimum maximum, tibi ſanè ab incunabulis (ut aiunt)

aiunt) atq; ipſa natura inſita? quæ profectò inter cæteras virtutes tuas, ſplendidiſſimum veluti ſolare ſydus inter minora ſydera ita fulgeat, ſemperq; fulſerit, ut adoleſcentiam vix ingreſſus, ſtatim veram de Deo religionem & Auguſtanam veræ fidei confeſſionem ſedulò amplexus es, ſiquidem Cel. T. non ita pridem in ſuſcepta gubernatione ſe erga ſuos benignè declaraſſe accepi, eum ſeſe & eſſe iam & deinceps fore, qui miſeris hiſce temporibus exulcerata atq; afflicta Eccleſiæ membra foueat religioni veræ in ditione Luneburgenſi hoſpitium concedat ἀιρετικῶν ſemina extinguat, elidat fibras: auertat alia, quæ pios, tum docentium quàm diſcentium cœtus turbare, conatus retardare præclaros poſſe videntur. Nouit nimirum Celſ. T. verum eſſe id, quod unò prudentes omnes ore affirmant. Reipub. fundamentum firmiſſimum puram ſynceramq; religionem eſſe. Scit non politiæ ſaltem, ſed & Eccleſiæ nutricios ſacris in literis pios principes appellari: Nouit hac ſine meram ſtulticiam humanam eſſe ſapientiam inutilem iuſti cognitionem: furorem atq; inſaniam fortitudinem: mancas & imperfectas virtutes alias: non erga magiſtratus fidem: pietatem in parentes: in patriam charitatem: mutua vita contineri conſeruariq; officia poſſe.

Quo deinde & illud loco numeroq; habendum, quod non minus cognitum iam ante nobis eſt exploratum, eam T. Cel. ſemper animo infixam cu-

ram fore, ut literarum in ſua ditione ſtudia floreant, ciuium rectè liberi informentur, bonis artibus & linguis imbuantur, ad omnes honeſtatis pietatiſq; partes educentur.

Occurrunt ſcilicet T. Celſ. Romani illi fortiſſimi atq; nobiliſſimi, Catones, Scipiones, Cæſares, Pompeii, Imperatores quoq; longè laudatiſſimi, Conſtantini, Theodoſii, & alii, qui ut docti ipſi fuerunt; ita literarum fautores, patroni literarum, ſcholarum promotores ſummi extiterunt.

Excitant T. Cel: commoda illa quæ ex bonis laudabiliterq; conſtitutis ſcholis, educatione iuuentutis diligenti promanare, atq; ad omnes Reipub. ſeſe diffundere partes conſueuerunt & plurima & maxima. Sine artium atq; doctrinarum adminiculis publica negotia, rectè feliciterq; tractari atq; peragi non poſſe eadem intelligit.

Et ut hoc de animo iudicioq; præclaro T. Cel. graulamur: ita, qua par eſt obſeruantia ab ea contendimus, in eodem conſtanter permanere, ſicq; ſtatuere dignetur: nullam magiſtratibus ad ſartam tectam Reipub. incolumitatem conſeruandam: ad benè de exteris merendum: ad veram, perpetuam, ſolidamq; gloriam parandam viam magis expeditam eſſe: quàm Eccleſiam & ſcholas fouere, tueri, & à ruina atq; interitu prohibere.

Iam mihi videor Princeps Illuſtriſſime potiores partis ſuſcepti à me muneris peregiſſe, cum de virtutibus

tutibus tuis,pietate,ſanctitate morum, & religione ipſa,id quod ſcio à me maximè requiri,non quidem pro merito tuo & expectatione verba fecerim. Vna verò religio eſt,in'qua tanquam baſi,& firmamento ſunt omnes regiæ virtutes conſtitutæ, ut neq; ſine religione eſſe ulla virtus, neq; ulla religio eſſe ſine virtute poſſit,quæ ipſa diuina virtus eſt, unde cæteræ tanquam à fonte manant.

Eius enim ea ratio eſt,ut in nemine illæ virtutes eſſe poſſint, quibus munitum te Princeps præſtantiſſime ad Ducatus Luneburgici gubernationem deſcendiſſe oſtendimus, niſi à Chriſti religione ſanctiſſima ea hauſta habeat. Quis enim iuſtus eſſe, quis ſapiens,quis fortis,quis moderatus poteſt, qui non compreſſas animi perturbationes omnes & affectiones habeat, quod eſt unius religionis opus ut maximum, ſic difficile imprimis atq, arduum? A Deo,qui eſt fons omnium bonorum, hæc petenda, non è Philoſophorum ſcholis; eſt à parentum diſciplina petenda, qui ipſi caſtis moribus atq; integri ab omni flagitij labe,ſui ſimiles liberos,qui Reipub.præeſſent, eſſe voluerunt.

Verùm ſatis non eſt, & hæc & alia, quorum modo mentionem fecimus,ſubditos agnoſcere, mirari & ſuſpicere. Sed & illud requiritur: ut quid ſubditorum viciſſim ſit muneris atq; officij perpendant, deq; obedientia cogitent, quam Illuſtris. Celſ. T. à nobis neceſſario poſtulat.

Quid enim eſt, quod vel publicè rectè adminiſtrari, vel inſtitui priuatim commodè, vel deniq; omnino conſiſtere, aut ad temporis ſeſe tueri punctum abſq; obœdientia poſſit. An non uniuerſa hæc mundi machina conditori moderatoriq; ſuo præpotenti Deo paret: eidem maria obediunt, obtemperant terræ: dictis audientia cætera ſunt cuncta. Quid verò boni ab eo expectari homine poteſt, qui nec rationi, luxuriantes cupiditatum impetus ad certam normam dirigenti paret, nec pia atq; cordata aliorum audit conſilia, nec magni increpationes facit, illud plena Cyclopicum manu collaudat: ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός. Cuius ergo non dicam impietatis aut ἀχαριστίας, ſed furoris potius eſſet atq; veſaniæ, eius detrectare imperium, parui conſilia facere, iuſſa ridere, ſpernere mandata, qui ſiue potentia ſpectetur ſiue ob oculos conſtituatur clementia: ſiua prudentia conſideretur, longè alijs antecellit; qui non priuatum ſed publicum commodum ſpectat: qui ijſdem, quibus nos, & amicis & inimicis utitur, ex ſimilibus rebus & damnum ſentit & emolumentum percipit.

Poſtremo ſupereſt, quoniam longiori admodum tuæ laudis commemoratione aures tuas defatigari, quàm meipſum ſatiari fortaſſe contigit, ut mentes noſtras exultantes, & non paruam animorum noſtrorum gaudentium vim atq; alacritatem adducam: Quam quidem adeò magnam incredibilemq;

lemq; imprimis concepimus, quod cum uniuerſum Ducatus Luneburg. commodum & utilitatem cernimus, eam expectationem præ te ferre, ſpemq; ac certitudinem præbere exiſtimaris, quam quiſpiam ullo unquam exacto tempore vel inſpectione ꝓponderit, vel reipſa nunquam fefellerit.

Felix igitur fauſtusq; illuxit T Celſ. candidiſſimus dies, qui te Ducali huic regimini inaugurauit, & nos omnes maximi voti compotes reddidit. Sed cùm mentis gaudia exprimere & cauſas explicare arduum ſit, animorum ſenſus oratione adæquare difficilimum habeatur: imitabor in hac parte Timanthem pictorem egregium, qui in depingenda Iphigeniæ imolatione, cum paterni mœroris acerbitatem dignis ſatis affectibus exprimere non poſſet, velauit eius caput, & ſuo cuiq; animi iudicio reliquit exiſtimandum.

Exiſtimo ſanè non aliter poſſe debitum gratulaitonis officium à me impleri, nec aliter efficacius poſſe pium, humilis & deuotæ obœdientiæ obſequium præſtari, quàm ſi in præſenti hoc breui Panegyrico tibi Illuſtriſ. Princeps de [redacted] inaugurationis feſtiuitate, uti par eſt ac decet, gratularer. Itaq; unde initium ſumpſerat, eo nunc reuertatur oratio. *hodierna*

Gratulamur tibi vehementer, Illuſtriſſime ac generoſiſſime Princeps, te omnipotentis Dei nutu ac

meriti-

meritis tuis in iſta antiqua maiorum pulcerrima ſede collocatum: quæ non facilè iudicari poteſt, an plus tibi ſublimitate ſua dignitatis attulerit, quam tu illi ob egregias virtutes tuas addideris.

Nihil enim tam præclarum, nihil tam ſingulare nobis proponere valemus, quod ad gubernandam prouinciam Luneburgicam ſpectet, quin id in Celſitate tua plurimum excellere & copioſiſſimè ſupereminere videamus.

Nec ſanè hoc de te immeritò dici poteſt: Lucificer iſte matutinus mirificum ſplendorem ac cœleſte iubar ſecum afferens, radiis ſuæ claritatis antę oculos noſtros effulſit.

Nobis quoq; plurimum gaudemus, cum Dominus populum ſuum pacifico, fideli, prudentiſſimo ac verè innocenti Duci commiſerit, qui eos diligenter & egregiè defendere ac regere ſciat, velit, poſſitq;.

Reſtat nunc ERNESTE Princeps Illuſtriſſime, ut coniunctis votis & animis à Deo Opt. Max. qui nutu ſuo cœlum temperat, & ſola terrarum ultimarum, precemur, ut quoniam non ſine cœleſti conſilio Cel. T. huic ditioni gubernatorem conſtituit, te longiſſima vita beet

atq;

atq; ſoſpitet, & magiſterio ſpiritus ſancti uniuerſas actiones tuas dirigat, gubernet, feliciter, omniq; benedictionum genere locupletet: Conſiliariorum tuorum animos prudentia & pietate illuſtret, ut nihil Cel. T. ſuggerant, nihil conſulant neq; cupiant, quam quod ad T. Cel. diuinæ gloriam, & omnium pertineat ſalutem.

O CHRISTE mitiſſime, ad te ſupplices confugimus, tu fluctuantem Eccleſiam tuam, & hanc ditionem confirmes, tua hæc promiſſio eſt, tua cœleſtis vox, nauem Eccleſiæ tuæ agitari fluctibus poſſe, obrui non poſſe. En tempeſtas, en fluctus; Hoſtis externus in Germaniæ finibus conſtitutus ex ultima barbaria, Hungariam, Croatiam, Auſtriam & vicinas regiones affectat: Tu hoſtem illum Chriſtianiſſimi nominis Turcam immaniſſimum, ab aris templiſq; tuis, à vita fortuniſq; omnium noſtrum arce, nec lucem veræ religionis in hoc Ducatu accenſam, & utiliſſima literarum ſtudia in iis plantata inter ruinas mundi & regnorum, variaſq; confuſiones extingui & aboleri ſine: inimicos quoq; noſtros, qui impia conſilia aduerſus nos inierunt, aut ad ſanitatem reduc, ſi id poteſt, aut ſi non poteſt, in illorum capita cogitatum ſcelus conuerte.

hæreditarium

Age pater, reſpice quæ petimus, ſuppedita, quæ non intelligimus, præſta quæ petere nec auſi,

nec meriti ſumus unquam. Viuat hic ERNESTVS, valeat ERNESTVS, gubernet ERNESTVS, floreat ſub illo Ducatus Luneburgenſis, tota gratuletur Saxonia, nomen tuum in æterna laudetur ſecula, & nos in te perpetua fruamur felicitate.

Δόξα θεῷ μεγάλῳ μόνῳ εἰς αἰῶνα αἰώνων.

τέλος.